

244. Obiic. 5° Volitiones pendent a cognitione boni, et mali. Ergo sunt necessariae, non liberae.

245. Resp., *Dist. ant.*, pendunt tanquam a causa, quae necessario eas producit, *neg. ant.*, secus, *conc. ant.* *Neg. cons.* Re quidem vera, cognitiones boni, et mali, etiamsi, secundum sententiam s. Thomae, quam nos secuti sumus<sup>1</sup>, determinent voluntatem, non tamen necessario eius actus producant, quippe quod non sunt causae necessariae; nam, uti antea ostendimus<sup>2</sup>, intellectus ita iudicat de bonitate, et convenientia alicuius obiecti, ut potuisset diverso modo iudicare. Accedit quod causa, cuius effectus impediri potest ab ipsa voluntate, actum voluntatis necessarium non efficit. Atqui cognitioni boni, vel mali « potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari, vel removendo talem considerationem, quae inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum<sup>3</sup> ». Ergo actus voluntatis ex cognitione boni et mali, a qua pendunt, necessitatem non accipiunt.

246. Obiic. 6° Admissa vera sententia circa originem libertatis, nempe voluntatem ex iudicio rationis determinari, voluntas ex duobus bonis, uno maiori, altero minori, non potest non amplecti bonum maius; et, si ei proponantur duo bona aequalia, neutrum eligere posset, quia nulla foret ratio sufficiens, ob quam voluntas minus bonum maiori, aut inter duo aequalia unum alteri praefereat. Ergo voluntas facultate eligendi destituitur, ac proinde libertate indifferentiae non gaudet.

247. Resp., *Neg. ant.* Sane, voluntati integrum non est eligere aliquid, quod intellectus ultimo suo iudicio practico iudicavit esse minus bonum, ac proinde minus eligibile, quam aliud; at vero potest ipsa efficere, ut illud, quod in se est deterius alio, tanquam melius hoc ab intellectu iudicetur, quatenus magis conducit ad finem, quem spectamus. Ita ii, qui peccant, prosequuntur unum, quod est deterius alio, sed iudicant hoc esse melius, quam illud, quia videtur eis opportunius ad obtinendum finem, quem sibi constituunt. Potest etiam voluntas ex duobus bonis aequalibus unum veluti praestantius altero eligere, nam,

<sup>1</sup> Cf p. 174 sqq. — <sup>2</sup> P. 175-176.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, *De malo*, loc. cit. ad 15.

iente s. Thoma, « nihil prohibet, si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum, quam in aliud<sup>1</sup> ». Quod si post istam inquisitionem in neutro inveniat novam aliquam bonitatem, potest voluntas ad unum bonum alteri praefereendum moveri ex eo, quod intellectus exhibet ei, tanquam bonum, exercitationem propriae libertatis.

## CAPVT VI.

### De facultate locomotiva

248. Facultas *locomotrix* est quaedam specialis facultas organica, qua anima movet de loco in locum corpus, cum quo ipsa coniungitur.

#### ART. I. Quodnam sit principium motuum localium

249. Facultatis locomotricis existentia demonstrari non potest, nisi prius definiatur, undenam principium motionum localium<sup>2</sup> repetendum sit.

Prop. 1°. *Motus locales soli corpori attribui non possunt.*

*Probat*ur praecipue contra Cartesium, et Leibnitium. Motus locales sunt operationes *vitales*, et *vivens* esse debet illud principium, a quo ipsi promanant. Atqui corpus, prout est corpus, esse non potest principium vivens. Ergo motus locales soli corpori attribui non possunt.

250. *Maior* ita demonstratur: Compertum est motus locales ita exerceri, ut animalia *seipsa moveant*, non ab alio moveantur, quia in illis, quae ab alio moventur, motus determinatus esse debet, dum e contrario animal ad unum aliquem certum motum localem non determinatur, sed ad unum, perinde ac ad alium, se habet, et a motu semel incepto cessare etiam potest<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XIII, a. 6 ad 3.

<sup>2</sup> Motiones, quibus corpus de loco in locum progreditur, *locales* appellantur, ut distinguantur ab *iis*, in quibus corpus locum non mutat, cuiusmodi sunt illae motiones, quae in corpore animalis, prout est vegetans, eveniunt.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., *In lib. VII Physic.*, lect. VII.

Atqui ea, quae in motu locali seipsa movent, principium sui motus in se habeant necesse est, quia nulla operatio ab aliquo subiecto manare potest, nisi fiat per principium, quod in ipso operante est. Ergo oportet, ut animal in se habeat principium motus, quo se de loco in locum transfert. Atqui omnis operatio, quae fit per principium, quod in ipso operante est, est operatio vitalis<sup>1</sup>; ideoque vivens debet esse illud principium, a quo promanat. Ergo motus locales sunt operationes vitales, et vivens debet esse principium, a quo ipsi promanant.

251. *Minor autem demonstratione non indiget, quia, si corpus, prout est corpus, esset vivens, nullum genus corporis posset esse expers vitae<sup>2</sup>; id quod aperte est falsum.*

252. Prop. 2<sup>a</sup>. *Principium motionum localium est anima.*

*Probatur.* Principium motionum localium, uti in praecedenti propositione ostensum est, debet esse illud, per quod animal est vivens. Atqui huiusmodi principium est anima. Ergo anima « est fons, et principium omnis motus in rebus animatis<sup>3</sup> ». Ex qua argumentatione infertur contra Malebranchium, animam esse causam non *occasionalem*, sed vere effectricem localium motionum. Etenim anima est principium huiusmodi motionum ex eo, quod vitam animali impartitur. Atqui « ea vivunt, quae operantur ex seipsis<sup>4</sup> ». Ergo anima est causa vere effectrix localium motionum.

253. Prop. 3<sup>a</sup>. *Anima per aliquam facultatem organicam movet corpus, ac proinde non ipsa per se, sed simul cum corpore est principium motuum localium.*

*Probatur contra Platonem<sup>5</sup>:* 1<sup>o</sup> Anima nihil agere potest, nisi alicuius facultatis ope. Atqui inter actiones animae occurrit etiam illa, qua corpus suum de loco in locum movet. Ergo anima pollere debet facultate movendi corpus suum de loco in locum. Praeterea, anima non potest movere corpus, nisi ipsum tangat. Atqui anima, cum sit partium expers, non potest tangere corpus contactu *physico*, nempe prout partes suas partibus corporis apponit, sed dumtaxat contactu *virtutis*<sup>6</sup>, nempe prout

<sup>1</sup> Cf p. 93. — <sup>2</sup> I, q. LXXV, a. 1 c.

<sup>3</sup> In lib. I De Anim., lect. 1. — <sup>4</sup> I, q. XVIII, a. 3 c.

<sup>5</sup> Plato (*Cratyl.*, p. 400, a; *Alcib.*, p. 150, a, ed. H. S.), alique motus locales uni animae tribuerunt.

<sup>6</sup> I, q. LXXV, a. 1 ad 3.

aliquid in illud agit. Ergo oportet in anima aliquam facultatem inesse, cuius virtute corpus suum movet.

2<sup>o</sup> Facultas, per quam anima movet corpus, debet esse organica. Nam anima per facultatem movendi corpus, de loco in locum aliquid extra se agit. Atqui « spiritus humani, ut s. Thomas ait, cum sint corporibus uniti, in exteriora operari non possunt, nisi medio corpore, ad quod sunt quodammodo naturaliter colligati<sup>1</sup> ». Ergo facultas movendi corpus nequit ab anima exerceri sine aliquo organo corporeo.

3<sup>o</sup> Quod si anima per aliquam facultatem organicam corpus movet, ipsa non per se, sed simul cum corpore est principium motuum localium, quia ad exercitationem facultatis organicae anima simul, et corpus quidquam conferunt<sup>2</sup>.

254. Obiicit Plato: Anima corpus movet eo quod movet se ipsam; ergo anima ipsa per se, ac proinde sine ulla facultate organica motus locales exercet.

255. Resp., *Neg. ant. et cons.* Et sane, si anima corpus movet eo ipso, quod se movet, certe unus est motus, quo simul anima, et corpus moventur, ac proinde anima eodem, quo corpus, genere motus movetur, nempe de loco in locum. Atqui motus de loco in locum prorsus repugnat naturae animae. Ergo repugnat animam movere corpus eo ipso, quod se movet.

256. Porro motum de loco in locum prorsus repugnare naturae animae ita probatur: « Ad hoc, quod aliquid per se moveatur in loco, oportet quod per se sit in loco<sup>3</sup> ». Atqui « ridiculum est dicere, quod animae, aut alicui substantiae spiritali sit aliquis locus naturalis<sup>4</sup> »; in confesso enim est apud omnes Philosophos *esse per se in loco* non nisi corporibus convenire. Ergo motus localis naturae animae prorsus repugnat<sup>5</sup>. Hinc, s. Thomas observante, anima non est in loco *per se*, nempe essentia sua, sed per aliquid, ad quod essentia sua refertur, hoc est, prout secundum suam essentiam coniungitur cum corpore, quod est in loco; et sicut quidquid movetur de loco in locum, non alio modo movetur, quam quo est in loco, ita anima non *per se* mo-

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, De Pot., q. VI, a. 4 c. — <sup>2</sup> Cf p. 98.

<sup>3</sup> In lib. II Sent., Dist. X, q. I, a. 3, sol. 4.

<sup>4</sup> I, q. CII, a. 2 ad 2.

<sup>5</sup> Cf s. Aug., De Gen. ad litt., lib. VIII, c. 22, n. 43.

vetur de loco in locum, sed per motum corporis, cum quo coniungitur ipsa quodammodo movetur <sup>1</sup>.

ART. II. *Adstruitur existenti facultatis locomotricis*

257. Ex iis, quae praecedenti articulo diximus, conficitur admittendam esse in anima facultatem locomotricem. Eam non solum Scholastici post Aristotelem late explicarunt, sed etiam nonnulli inter recentes, e. g., Martinius <sup>2</sup>, Garnierius <sup>3</sup>, alique agnoverunt.

258. Prop. *Facultas locomotrix inter facultates animae iure recensetur.*

*Probat.* Anima non nisi per aliquam potentiam organicam potest corpus suum movere. Atqui huiusmodi potentia organica, qua anima corpus suum movet, cum aliis potentiis organicis sive vegetativis, sive sensitivis confundi non potest. Ergo admittenda est in anima specialis facultas organica, qua corpus suum movet, quaeque ex munere, quo fungitur, *locomotrix* iure appellatur.

259. *Minor* ita demonstratur: Facultas ista non est ulla ex facultatibus vegetandi, nam plantae, in quibus vis vegetandi inest, numquam incedunt, neque ullum organum ad incedendum in illis invenitur. Neque est ulla ex facultatibus cognoscendi sensitivis. Etenim motus de loco in locum fit ab animali, ut consequatur id, quod appetit, aut fugiat id, quod sibi molestum est <sup>4</sup>; dum e contrario facultates cognoscendi in rerum apprehensione consistunt, neque ad illarum assecutionem progrediuntur. Denique ad appetitum sensitivum facultas movendi corpus revocari non potest, quia aliquando, etiamsi extet actus, quo appetitus in aliquem localem corporis motum inclinat, hic tamen motus exerceri non potest <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> *In lib. III Sent., Dist. XV, q. II, a. 1, sol. 2 ad 3. Cf s. Aug., loc. cit., c. 21, n. 41, et lib. XII, c. 32, n. 60.*

<sup>2</sup> *Phil. spir., Part. 2, c. 15.*

<sup>3</sup> *Traité des facult. intellect., lib. II, § 3.*

<sup>4</sup> *I, q. LXXVIII, a. 1 c.*

<sup>5</sup> Differentia inter facultatem locomotricem, et facultates intellectivas tum cognoscendi, tum appetendi demonstranda hic non est, quia harum facultatum actiones sunt inorganicae, dum locomotiones sine organo corporeo exerceri nequeunt. Ceterum id, quod hac in re de facultate cogno-

ART. III. *De natura huius facultatis*

260. Circa naturam facultatis locomotricis haec duo statuenda sunt:

1° Principia, ex quibus facultas locomotrix ad actus suos movetur, sunt aestimativa, vel intellectus, si animal sit rationale, et appetitus. Etenim huiusmodi facultas tendit ad assequendum aliquid, quod appetitur, ac proinde ad suum actum ab appetitu determinatur; et quoniam facultas appetendi sine aliquo actu cognitionis exerceri nequit, ideo actus facultatis locomotricis praeivium cognitionis actum quoque expostulat. Hic cognitionis actus est qui vel per aestimativam, vel per intellectum practicum obtinetur. Per *aestimativam* quidem, nam per ipsam apprehenduntur in singularibus obiectis rationes convenientiae, unde exurgit appetitus, qui facultatem locomotricem ad obiectum assequendum movet. Per intellectum *practicum*, non speculativum, quia « motus in particularibus sunt, unde oportet ad hoc quod motus sequatur, quod opinio universalis ad singularia applicetur <sup>4</sup> »; id autem, ut alibi diximus <sup>2</sup>, rationis practicae munus est.

2° Intellectus, vel aestimativa, et appetitus sunt principium, quod vim motricem ad suos actus movet, sed non sunt principium, per quod illa suos actus exequitur, quia motus localis ab intellectu, vel aestimativa, et ab appetitu imperatur, sed non perficitur. Potentia autem, quae illos motus exequitur, est, ut ait s. Thomas, ea, « per quam membra redduntur habilia ad obediendum appetitui <sup>3</sup> ». Haec autem potentia, quae exequitur motus, ea est, quae locomotrix appellatur, quia potentia dicitur immediatum principium actionum, principium autem immediatum est illud, a quo actiones perficiuntur, non vero illud, a quo ipsae imperantur.

scendi sensitiva, et de appetitu sensitivo diximus, etiam in intellectum, et in voluntatem quadrat.

<sup>4</sup> *In lib. III De Anim., lect. XV. — 2 P. 152.*

<sup>3</sup> *I, q. LXXV, a. 3 ad 3.*

## IDEALOGIA

1. Ad Dynamilogiam, ut diximus in *Introd. ad Philosophiam*<sup>1</sup>, *Idealogia*, et *Criteriaologia* etiam spectant. Ex iis enim, quae circa naturam, obiectum, et operationes facultatum animae humanae statuta sunt, nullo negotio colligitur, 1° quomodo cognitio humana per illas facultates evolvatur, sive quomodo cognitionis humanae origo explicanda sit; 2° quidnam roboris ad veritatem nobis patefaciendam ipsis insit. Harum tractationum prima dicitur *Idealogia*, quia originem idearum ad examen revocat; altera autem vocatur *Criteriaologia*, quia *criteria*, sive motiva, ob quae de vera cognitione rerum certi sumus, exponit.

2. Quod attinet ad *Idealogiam*, nos quaestionem solvemus de idearum origine in universum spectata, sive de modo, quo intellectus noster primo assequitur cognitionem rerum<sup>2</sup>; atque 1° praecipua Philosophorum systemata excutiemus; 2° illorum Philosophorum sententiam expendemus, qui humanam cognitionem sine sermonis ope evolvi non posse pertendunt; 3° quoniam quaestio de origine idearum ad notiones universales spectat, de celebri illa controversia, quae circa vim notionum universalium penes Philosophos exagitur, verba faciemus.

### CAPVT PRIMVM

#### Excutiuntur Philosophorum systemata circa originem idearum

##### ART. I. De Sensismo

3. Sensismus est illud systema, in quo origo totius cognitionis humanae ex sensibus, tamquam ex unica fonte, repetitur.

<sup>1</sup> P. 3.

<sup>2</sup> De specialibus modis, quibus anima res materiales, prout singulares sunt, vel ea, quae materialium rerum genus praetergrediuntur, vel seipsam cognoscit, iam a nobis explicatum est (vid. p. 132 sqq., et p. 141 sqq.). Modum autem, quo ad Dei cognitionem pervenimus, in Theologia naturali investigabimus.

4. Prop. *Sensismus est systema in se absurdum, et ad absurda consecutaria duccens.*

*Probatur prima pars.* Sensistae ideo docent sensus esse unicam fontem cognitionis humanae, quia cum Condillacho unicam sentiendi facultatem animae attribuunt, et contendunt ceteras facultates, quae a Philosophis numerantur, non aliud esse, quam diversas sensibilitatis formas, earumque actiones non aliud esse, nisi sensationes *transformatas*<sup>1</sup>. Atqui nos iam evidenter demonstravimus operationes intellectus tum ex obiecto, circa quod versantur, et ex modo, quo exercentur, tum ex ipsis Condillachi principiis non posse reduci ad sensationes. Ergo absurdum est assignare sensus, tamquam unicam nostrae cognitionis fontem.

5. *Probatur altera pars.* 1° Homo, ex cognitione intellectiva, qua pollet, discriminatur a belluis, quibus nonnisi cognitio sensitiva inesse potest. Atqui, si sensus essent unica fons cognitionis humanae, et cognitio intellectiva ad sensationes reduceretur, nullum extaret discrimen inter cognitionem propriam hominis, et illam, quae pertinet ad belluas. Ergo, posito sensismo, homo ex dignitate sua, qua belluis maxime praestat, excideret. 2° Scientiarum principia absoluta, universalis atque immutabilia sint oportet. Atqui sensus non nisi concretum, contingens, et mutabile referre possunt. Ergo, posito sensismo, scientia prorsus evanesceret.

6. Haec autem absurda consecutaria sensismi haud vitantur, si origo idearum eo, quo docuit Lockius, modo explicetur. Nimirum angulus hic philosophus duas facultates ad rerum cognitionem assequendam in animam admisit, nempe *sensationem*, per quam anima res, quae sive extra se, sive in se fiunt, apprehendit, et *reflexionem*, per quam ad res sensibus apprehensas vim suam intendit<sup>2</sup>. At vero haec reflexio, quam Lockius praeter sensationem admittit, ad sensationem, ut merito Condillachus observavit, reducitur. Nam huiusmodi reflexio non exercetur, nisi circa ea, quae sensibus percepta sunt, ac proinde ipsa vividiores reddit sensationes, atque ad summum eas in partes dissolvit, aut vario modo componit, sed numquam efficere potest, ut mens ad intelligibilia, quae ab ipsis sensationibus specie differunt, adsurgere possit.

<sup>1</sup> Cf p. 156. — <sup>2</sup> *Essais etc.*, lib. II, c. 2, § 1.